

1572
1 agosto

TRASCRIZIONE DELL'ATTO DI
PRESA DI POSSESSO
DEI TERRITORI DI POSTA
IN NOME DI
MARGHERITA D'AUSTRIA

2000
a cura di **Roberto Mancini**
(dalla copia della trascrizione degli "Alligati"
consegnata al Tribunale dell'Aquila nel 1899 e anni successivi
conservata nell'Archivio Storico del comune di Posta)

In Dei nomine Amen. Haec est copia exemplum sive transumptum instrumenti adeptae possessionis Terrae Apostae per magnificum I. V. D. Dominum Ioannern Franciscum Marium de terra Montis Regalis procuratorem et procuratorio nomine serenissimae Madamae Margaritae Ab Austria. Haec nõ instrumenti donationis factae praefatae Serenissimae Madamae cujusdam territorii et pertinentiarum per syndicum et procuratorem comunitatis terrae Apostae nomine dictae comunitatis reperti in libro prothocollorum bonae memoriae quondam D. Persii Salvi de terra Montis sancti notarii publici praemortui. Cujus libri intitollatio talis est videlicet.

In nomine individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. Hic est liber prothocolli mei Persii qm Annibalis de Salvis de terra Montis Sancti Spoletani domini publici Apostolica et regia auctoritate notarii continens in se omnes et singulos contractus Pacum induciarum transactionum compromissorum divisionum laudorum sententiarum, emptionum venditionum, locationum, fictuumque ultimarum voluntatum et alios quoscumque cujuscumque generis, de quibus ego idem Persius prenominatus Notarius rogatus fuero sub annis mensibus diebus inditionibus et regnantibus infrascriptis. Factus aeditus, compositus iniziatus et publicatus per me eundemque Persium praenominatum Notarium sub anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo decimae inditionis regnante Invictissimo et serenissimo Domino nostro Domino Philippo ab Austria Dei gratia Rege Castellae, Aragonum, Utriusque Siciliae, Hierusalem, Ungariae Dalmatiae Croatiaeque. In quorum omnium et singulorum premissorum et premittendorum fidem robor et testimonium Ego Idem Persius qui supra Notarius me subscripsi et signum cum nomine meo consuetum apposui

Omisso signo-signum mei Persii notarii praedicti. Sequitur in medietate.

In nomine Domini Amen. Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo decimae inditionis die vero vigesima nona mensis Aprilis ejusdem anni Regnante invictissimo et Serenissimo Domino nostro Domino Philippo ab Austria Dei gratia Rege Castellae Aragonum, Utriusque, Siciliae, Hierusalem, Hungariae; Dalmatiae, Croatiaeque.

Actum in Civitate ducali provinciae Abrutii ulterioris et proprii apud publicum tribunal causarum civilium Curiae Magnifici Capitanei Civitatis praefatae situm in capite salae magnae Palatii popularis juxta Archivium publicum et alios fines coram egregio Notario Propertio Cimino de prefata civitate Regio habito iudice ad contractus ad vitam me Persio Salvo de terra Montis Sancti Spoletani domini et infrascriptis testibus videlicet mag.^{co} I. V. D. Domino Ioanne Laurentio Fondio et notario Sebastiano Massani de dicta civitate et Fabio Crastae de Castro Burgi districtus ejusdem Civitatis ad infrascripta habitis

Hos qui notum facimus in quod coram nobis iudice notario et testibus antedictis hodie hac praesenti suprascripta die personaliter constituti Antonius Perroni de dicto Castro Burgi qui sponte et principaliter pro se ipso Lucentino et Ferrante ejus Germani Domino Nuntio Mathaeo Angelo Apollonio et Angelo Orsetti de eodem Castro quibus et unoquoque ipsorum literato

Et omissis aliis ad causam non facientibus

Deinde ad Cartas 245 dicti libri sequitur.

In nomine Domini Amen. Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo decimae quintae inditionis regnante Invictissimo et serenissimo Domino nostro Domino Philippo ab Austria dei gratia Rege Castellae Aragonum utriusque Siciliae, Hierusalem Ungariae, Dalmatiae, Croatiaeque¹ sub dictus et locis inferius nominandis Nos Iacobus Aresius de terra Montis Regalis Regius Iuratus Iudex ad contractus ad vitam Persius qm. Annibalis de Salvis de

¹ *Nel testo da cui si trascrive è scritto: "Creotiaeque"*

terra Montis Sancti Publicus Regia autoritate notarius et hi testes videlicet Reverendus Dominus Angelus Lopez archipresbiter Terrae Burboni et Notarius Adantes Gregori de eadem terra, ac Latinus Cesaris de Abbatia Ferrentilli ad infrascripta habiti vocati et rogati Praesenti scripto publico declaramus notum facimus et testamur quod in praesentia nostra Iudicis Notarii et testium supranominatorum hodie die prima mensis Augusti anni praedicti: Personaliter constitutus Magnificus I. V. D. Dominus Ioannes Franciscus Marius de dicta terra Montis Regalis procurator et procuratorio nomine serenissimae Madamae Margaritae ab Austria² et prout de ejus Procuracionis mandato constat manu mea notarii supradicti, Volens et intendens pro parte dictae Serenissimae suae principalis adipisci et apprehendere possessionem terrae Apostae sitae et existentis in ulteriori Aprutina provincia ac villarum et jurium ipsius nuper emptae ab excellenti Domina Helionora Cornesia virtute clausulae constitutae in istrumento venditionis hujusmodi rogato manu egregii Notarii Iosippi Margici de Aquila apparentis personaliter se contulit ad dictam terram Apostae et ad se vocavit Magnificos Antonellum Leonardum, Alfonsum Rodolphum, Euditium Piccioli et Fabianum Cherubini Priores terrae praefatae collegialiter existentes cum maxima aliorum virorum terrae ejusdem caterva ante januam ejusdem terrae. Illos certificavit de emptione terrae praefatae et quod ipse intendit de ea et juribus ipsius realem actualem et corporalem capere possessionem et actus quoslibet possessorios necessarios et opportunos de super facere requirendo illos propterea ibidem praesentes et intelligentes tam nomine publico quam privato universaliter et particulariter ut velint tamquam vaxalli sub utili dominio s. Alt.^{nis} existentes ipsam serenissimam Dominam in utilem Dominam et Baronissam Terrae, praefatae recognoscere illique parere et debitam obedientiam et realia et personalia servitia et obsequia praestare aliaque omnia et singula facere prout tenentur et debent ex forma juris privilegiorum concessionis ejusdem terrae et alias ex usu et consuetudine quomodolibet. Qui alta voce acclamantes Viva Madama Respondentes dixerunt se esse paratos parere et ea omnia et singula facere ad quae vaxalli tenentur, qua responsione facta alacriter introduxerunt dictum Magnificum Procuratorem nomine dictae serenissimae Madamae intus terram praefatam qui clausit et exinde aperuit januam dictae terrae in signum veri domini et possessionis. Deinde idem Magnificus Procurator contulit se ad palatium Curiae nuncupatum situm intus terram praefatam juxta Ecclesiam Sancti Francisci et alios fines in illam incrediendo valvas claudendo et aperiendo in signum veri domini et possessionis.

Item amovit ab officio Cap.^{tus} ejusdem terrae egregium notarium Vespasianum Aristam de S. Demetrio et in dictum Cap.^{tus} officium nomine s. Altitudinis ponendo ac introducendo egregium notarium Ioannem Baptistam Patium de Civitate Ducali ibidem proesentem qui exhibuit patentes liberas sibi super concessione dicti officii expeditus per dictam Serenissimam Madamam Magnificis Prioribus praenominatis ac erario terrae praefatae qui dictas patentes literas ad eorum conspectum lectas receperunt reverenter omni qua decuit reverentia, et obtulerunt parere facere et exequi prout in illis continetur, cui quidem magnifico Moderno Cap. injunxit ut conficiat inventarium de processibus et scripturis Archivii sibi per ejus precessorem consignatis. Item amovit ab officio aerariatus dictae terrae Probum virum Lazarum Paschalutium constitutum pro parte excellentis Dominae Helionorae et eundem ibidem praesentem in aerarium constituit et deputavit nomine Serenissimae Altitudinis et ad ejus beneplacitum cum solitis et consuetis

² *Nel testo da cui si trascrive è scritto: "Ab austria"*

salario obligationibus honoribus et oneribus et cum potestate et facultate omnia jura ipsius Serenissimae Madamae sibi quomodolibet tam ex forma privilegiorum quam ex usu et consuetudine et alios quomodolibet competentia et quolibet qualibetcumque competentia etiam jus portulariae ac ponderum et mensurarum.

Demum idem Magnus Procurator descendit ad suburbia terrae praefatae et in eisdem dispatiauit magna comitante caterva saepius acclamante Viva Madama Viva Madama.

Item ingressus fuit realem actualem et corporalem possessionem cujusdam domus cum orto contiguo sito in suburbio juxta res Malatestae Scatulae Res Ioannis Caesaris Floravantis viam et alios fines in eam incrediendo et ianuas dictae domus claudendo et aperiendo et de orte de caepis et ciceribus capiendo in signum veri domini et possessionis et exinde praefatum Malatestam conductorem dictae domus et orti ibidem praesentem amovendo et illum nomine suae Altitudinis et ad ipsius beneplacitum reponendo cum pensione obligationibus et conditionibus prout hactenus exercuit et detinuit. Postero vero die quae fuit secunda mensis Augusti ejusdem anni fuit solemniter celebrata in Ecclesia S. Ruphinae nuncupatae ejusdem terrae Missa Spiritus Sancti qua auscultata idem Magnus Procurator cum nobis praenominatis Iudice Notario et testibus se contulit ad villam dictae terrae noncupatam denominatam Villam in eam ingrediendo ac per eam dispatiendo ac in signum veri domini et possessionis vassallos ejusdem sub utili dominio et jurisdictione suae Altitudinis submittendo alta voce acclamantes Viva Madama.

Item ingressus fuit realem et actualem ac corporalem possessionem villae nuncupatae Laculi per eam deambulando et spatiando ac sub dominio et jurisdictione suae Altitudinis Vassallos ibidem existentes et acclamantes Viva Madama trahendo et submittendo in signum veri domini et possessionis.

Item ingressus fuit realem actualem et corporalem possessionem tenutae nuncupatae Vallis Marae consistentis in terris arativis prativis et silvatis cultis et incultis juxta bona Abbatiae S. Quirici, Cassinae et terrae Burboni capiendo de segetibus herbis et glebis ac ramis arborum in dicta tenuta existentium in signum veri domini et possessionis.

Item cepit realem actualem et corporalem tenutam et possessionem Villae nuncupatae de Sigillo per eam deambulando et spatiando ac vaxallos acclamantes Viva Madama sub jurisdictione et utile dominio suae Altitudinis in signum veri domini et possessionis submittendo.

Item cepit realem actualem et corporalem possessionem villae nuncupatae Sancti Ioannis³ per eam deambulando et spatiando ac vaxallos acclamantes Viva Madama sub jurisdictione suae Altitudinis in signum veri domini et possessionis traendo et submittendo.

Item amovit ab officio Marcum Antonii conductorem Gabellae passus sive plateae ejusdem uti fidejussorem et principali nomine obligatum pro Bernardino Perutii alias serachella principali conductore officii d.d. nunc absente et carcerato in regia Aprutina audientia et eundem in dictis officiis et quolibet ipsorum nomine suae Altitudinis et ad ejus beneplacitum reposuit cum fictibus et responsionibus obligationibus conditionibus et modis prout hactenus exercuit.

Item amovit ab officio Cimonis Ioannem Marconi de dicta terra ibidem praesentem et intelligentem et eundem in exercitio dicti officii nomine suae Altitudinis ad ipsius beneplacitum reposuit cum ficto et conditionibus et obligationibus prout hactenus exercuit.

³ *Nel testo da cui si trascrive è scritto: "Cancti Ioannis"*

Item ingressus fuit realem actualem et corporalem tenutam et possessionem Villae nuncupatae Figini, per eam deambulando et dispatiando ac vassallos ibidem existentes acclamantes Viva Madama sub utili dominio et jurisdictione suae Altitudinis in signum veri domini et possessionis submittendo.

Item quamvis ad notitiam ipsius Magnifici Procuratoris devenerit quod tempore quo pro parte ejusdem Serenissimae Madamae fuit capta possessio Terrae Burboni fuit etiam capta possessio villae Vallis Mordentis nuncupatae, nihilominus ad majorem cautelam cautelam cautelae addendo et citra praejudicium dictae primae captae possessionis fuit iterum per dictum magnificum procuratorem nomine et pro parte dicte serenissimae Madamae ejusdem Villae Vallis Mordentis capta possessio per eam deambulando et spatiando in signum veri domini et possessionis citra tamen praejudicium dictae terrae Burboni et dictae terrae Apostae circa differentias inter eas vertentes super terminatione finium cum expressa protestatione quod neutri ipsarum partium ex dicta nova adeptae possessione censeatur at sit acquisitum aliquod jus nec factum aliquod praejudicium et salvo semper et reservato in premissis beneplacito et voluntate suae Altitudinis et ad praedicta defuit dictus Reverendus Dominus Angelus Lopez qui ad hunc actum pro teste ad esse necusavit.

Item idem magnificus Dominus Procurator ingressus fuit realem actualem et corporalem possessionem villae Collis Bacugni⁴ per eam deambulando et spatiando ac vaxallos acclamantes Viva Madama sub utili dominio et jurisdictione suae Altitudinis in signum veri domini et possessionis submittendo.

Item ingressus fuit realem actualem et corporalem tenutam et possessionem villae Stenati Bacugni per eam deambulando et spatiando ac vaxallos sub utili dominio et jurisdictione suae Altitudinis ibidem acclamantes Viva Madama in signum veri domini et possessionis submittendo.

Item ingressus fuit realem actualem et corporalem tenutam et possessionem Villae Fontacelli Bacugni per eam deambulando et spatiando ac vaxallos acclamantes Viva Madama sub utili dominio et jurisdictione suae Altitudinis in signum veri domini et possessionis submittendo.

Item ingressus fuit realem actualem et corporalem tenutam et possessionem Pistrini seu Molendini existentis in flumine seu rivo villae Bacugni, cum aquis aquarumque decursibus ingrediendo in dicto molendinum januas aperiendo et claudendo et exinde Bensiniautum de Bacugno licet absentem amovendo et demum in illum eundem nomine suae Altitudinis reponendo ad ipsius beneplacitum cum eisdem fictu obligationibus et conditionibus.

Item ingressus fuit realem actualem et corporalem possessionem terrae Arativae sitae in pertinentiis Villae Bacugni ubi dicitur sopra li pantanacci juxta stratam publicam res Sebastiani Frasotti res Ioannis Iordani Fontarelli et alios fines capiendo de stipulis ibi coexistentibus.

Item ingressus fuit realem actualem et corporalem tenutam et possessionem terrae prativae sitae in eisdem pertinentiis et vocabulo citra et ultra rivum juxta stratam publicam res Marconi Cusarelli, et alios fines ibi capiendo de herbis.

Item ingressus fuit realem et corporalem possessionem terrae arativae sitae in pertinentiis et territorio dictae terrae Apostae ubi dicitur le leseche juxta viam publicam res Bernardini Baptistae et alios fines capiendo de stipulis et glebis.

⁴ *Nel testo da cui si trascrive è scritto: "Collis Bacogni"*

Item ingressus fuit possessionem terrae sitae in dicto territorio et vocabulo ubi dicitur *acqua calda* juxta res Alesii quum Augustini, Res Petri Sanctis Lacarelli Castro Sancti Angeli et alios fines ibi capiendo de glebis.

Item ingressus fuit possessionem terrae prativae sitae in dicto territorio et vocabulo *le leseche* juxta viam publicam res Bernardini Gregori et alios fines capiendo de herbis,

Item ingressus fuit possessionem terrae arativae sitae in dicto territorio et vocabulo Caballino juxta res Eutitii Mastraccioli a duobus res Ioannis Bernardini Sperantiae et alios fines capiendo de glebis.

Item ingressus fuit possessionem in cujusdam terrae sitae in dicto territorio et vocabulo juxta res Eutitii Mastraccioli, res heredum Iuliani, et alios fines in capiendo de glebis et haerbis

Item ingressus fuit realern actualem et corporalem possessionem Villae nuncupatae *de Faischio* per eam deambulando ac vaxallos acclamante Viva Madama sub dominio et jurisdictione suae Altitudinis in signum verae possessionis submittendo.

Item ingressus fuit possessionem terrae partim arativae et partim prativae sitae in Valle Faischi juxta res Eutitii Mastraccioli res heredum Lucii Marci et alios fines capiendo de glebis.

Item ingressus fuit possessionem cujusdam Casaleni ad usum molendini constructum situm dicto vocabulo in eum ingrediendo et ex eo egrediendo cum aquis aquarumque decursibus in signum veri dominii et possessionis.

Item ingressus fuit possessionem Molendini siti in flumine seu rivo Vallis Faischi in eum ingrediendo et januas dicti molendini claudendo et aperiendo et ab eo Ioannem Emiliu Lucii Marci conductorem dicti molentini amovendo et in ipsum nomine suae Altitudinis reponendo cum eisdem fictu et conditionibus in et cum aquis aquarumque decursibus in pro tempore ad beneplacitum suae Altitudinis.

Item ingressus fuit possessionem terrae Arativae ubi dicitur *li balzi* juxta res Domini Bernardini res Paschalis Catherini et alios fines capiendo de glebis.

Et praedicta omnia et singula acta et gesta fuerunt per dictum magnificum procuratorem quo supra nomine non solum modo praedicto sed omni alio de jure meliori rogando me notarium.

Et omissis nonnullis aliis instrumentis sequitur instrumentum donationis praedictae ad cartam 253 infrascripti tenoris videlicet.